

Refrigerans Galeni.

QUINQUE FRAGMENTA
Lapidum pretiosorum.

Granati.

Hyacinthi.

Sapphyri.

Smaragdi.

Sardæ, seu Carneoli.

CAPUT VI.

DE PONDERIBUS, ET MENSURIS MEDICIS.

Pondera, & Mensuræ sunt limites quidam, aut regulæ quibus, ad justè dispensanda Medicamenta utimur, ut intentus à Medico finis subsequatur.

Unde solùm hîc de Ponderibus, & Mensuris usualibus acturi sumus.

LIBRA.	℔	} <i>habet</i>	UNCIAS DUODECIM.
UNCIA.	ʒ		DRACHMAS OCTO.
DRACHMA.	ʒ		SCRUPULOS TRES.
SCRUPULUS	ʒ		GRANA VIGINTI-QUATUOR.

GRANUM quod æquat pondus Grani Hordei modicè crassi.

OBOLUS grana duodecim continet.

SILICUA granis quatuor constat.

MANIPULUS est quidquid manus apprehendit, quantum fieri potest dilatata.

PUGILLUS quidquid digitorum apicibus comprehendi potest.

GUTTA minima est quæ haberi potest liquoris per intervalla stillantis portiuncula.

COCHLEARE unciam ferè dimidiam, vel tres drachmas liquoris continet.

CONGIUS habet libras octo.

SEMIS medietatem cujusque ponderis significat.

ANA vox à Græcis ducta singularum rerum prius enunciatarum æquale pondus sumendum esse ostendit.

Ad pondera designanda Romanis utimur numeris.

Quia tamen prædictorum Characterum & aliorum quoque nonnulli in Pharmacopœis aliter atque aliter descripti inveniuntur, hos hic loci indicare oportuit, nequis fortè Medicinæ Tyro, in administrandis Medicamentis rationem ponderum à Veteribus assignatam sequutus, male decipiatur.

C A P U T V I I.

DE INSTRUMENTIS PHARMACEUTICIS.

Pharmaceutica instrumenta sunt Ignis, Furni, & Vasa, quibus medicamina omnia præmissis operationibus confici solent.

Instrumenta dividuntur in Animata, & Inanimata. Animata sunt Medicus, Pharmacopœus, vel horum Ministri, quatenus ab his labores ipsius diriguntur. Inanimata verò sunt quæ nullam in hac arte habent intentionem, sed ab animato tantum moventur: dividunturque in activa, vel principalia, & passiva, vel minus principalia: activa sunt Ignis, & Aer, & quæ Pharmacopœi manibus reguntur, ut Agitaculum, Cochlear, Linæ, Forfex, Forceps, Malleus, Pistillum, Porphyrites, Spathula, &c. Passiva verò sunt Laboratorium, Furni, & Vasa, ut Ahenum, Alembicus, Cucurbita, &c.

Pharmacopœus, seu Artifex variis gradibus ignem metiri debet, quorum communiter quatuor enumerantur.

Primus, ac mitissimus ignis gradus est simillimus calori Gallinæ ovo incubantis, isque calor frequenter deservit digestionibus.

Secundus gradus est, dum calor ignis adeo fortis percipitur, ut manu vix tangi queat, & spirituum ardentium distillationibus accommodatur.

Tertius quoad tactum censetur, dum manum lædit,